

R. 57. num. 19.

1771. 24.

R. 290.
Q V A E S T I O
I V R I S C O N T R O V E R S I
A N
V N I O P R O L I V M
A D I M A T I V S T E S T A N D I
P A C I S C E N T I B V S

Q V A M
I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A
P R A E S I D E
D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G
P R O F E S S O R. P V B L I C. O R D I N. I V R. N A T. E T G E N T.
E T S O C I E T A T. L I T E R A R. D V I S B V R G.
S O C I O

I N A V D I T O R I O P E T R I N O
D I E X VI. F E B R V A R. A N N O C I C I C C L X X I.
D E F E N D E T
C H R I S T I A N V S A V G V S T V S P F E I L
M A R T I S B V R G E N S.

L I P S I A E
E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A





A N
VNIO PROLIV M
ADIMAT IVS TESTANDI
PACISCENTIEVS.



S. I.

Sicut, praeterquam si LL. specialioribus comprobetur, quale quid IVRE FRANCONICO P. III. Tit. 118. §. 1 et 2. dispositum: (verbis gleich ihren richten und natürlichen Kindern in ihrer Gewalt, Zucht und Gehorsam bekommet) vnio prolium, pactum illud successorum iuris germanici de hereditate parentum inter diuersorum matrimoniorum liberos diuidenda aequaliter, nihil commune habet cum Romanorum

A 2

adoptio-



adoptione, ut ex hac iuris ciuilis materia interpretando argumen-
tia ad hanc materiam duci nequeant; ita non omnem ma-
teriam de unione prolium interpretari animus est, cum alii iam
late hanc materiam executi sint. Sufficiat laudare Iac. R. I.
CIVM de unione prolium. MUSCULVM de Succession. conuen-
tionali et anomola Membr. III. STRYCK de Success. ab intest.
Diss. VIII. Cap. VI. ICKSTATT de unione prolium statutar.
SCHROETERVM de pacto successorio inter unitos diuersor. ma-
trimonior. liberos et omnium maxime Illustr. HOMMELIVM
pie defunctum in elegantissimo libello de genuina unionis pro-
lium indole. Vnicam ergo orabimus causam: an videlicet unio
prolium omnem parentibus testandi adimat facultatem.

§. II.

Vix quidquam antiquae leges patriae hanc ex pacto
 vnionis prolium succedendi rationem agnouere, neque qui
 supersunt mores probari eam posse permittunt. Cum enim
 antiquis germaniae populis forsitan ob pactorum vim adeo
 post hanc vitam duraturam, vt ob similitudinem morum
 cum Gallis coniicere licet ex **VALERIO MAXIMO** Memo-
 rab. L. II. Cap. VI. odiosa essent secunda vota, coniicimus,
 nec causas extitisse de communi pacto stabilienda successione
 inter diuersorum matrimoniorum liberos. A quo vero
 tempore tantopere non abhorrebat maxime in feminis a se-
 cundis votis, potuit adesse etiam causa de liberorum diuerso-
 rum successione pacisendi. Sed iam ex quotidiana rerum
 experientia alia superuenit causa, quae parum commentabili-
 lia secunda vota coniugum redderet. Docebat haec,
 blanditias nouerales non modo saepius paterno affectui
 vim intulisse, ipsasque noueras mariti liberos prioris
 coniugii saepissime tam male tractare, vt terrorii iis esse
 vide-

viderentur, parumque abesset, quin Cacedaemonum sociati adscriberent. Probabile vero est, in introducenda hac pacitia successione maiores respexisse ad hoc consilium, ut his obiurgationibus nouercarum tollendis medelam quaererent. Facile patebat, multum odii in liberos mariti prioris coniugii quaerendum in hoc, quod nouerca sentiret, mariti priores liberos, suis, quos pepererat, partem patrimonii paterni ablatuos. Quare, si communem successionem pacto statuerent coniuges, putabant, huic malo finem statui posse. In hac sententia me confirmat, die *Landes-Ordnung des Herzogthum Franckens P. III.* tit. *XIII. §. XI.* in verb. und der *Stief-Vater und Mutter zum rechten Vater und Mutter, wie sie es nennen, eingestzt etc.* et *REFORMAT. FRANCOE, P. III. Tit. X. §. 8.* verbis: *damit sie desto friedlicher und einiger bey sammen leben und ihre gemeine Kinder desto williger und leichter mit einander auferziehen mögen.*

§. III.

Quaeque vero sit huius introducti iuris succedendi per pactum vnionis ratio prima, vel ea quam dedimus, vel quam habet E N G A V in Elem. Iur. Germ. L. I. Tit. XXIII. §. 433. scil. quod saepe oriebantur magna inaequalitas, magna bonorum confusio et magnae difficultates, dum aquaeftus cuiusque matrimonii determinandus erat; ad quas euitandas vnio proslum videtur adiuuenda esse. Haec ipsa vero vnio vel inter parentes interque liberos, si adultiores sunt statuitur, atque videtur solus parentum liberorumque consensus validam illam efficere, neque causae cognitionem tunc requiri, maxime cum successoria pacta moribus germanorum, si de rebus arbitrio et liberae dispositi

tioni subiectis initur ab iis, qui sponte valideque se obligerare possunt, non improbantur. Vel paciscuntur parentes, quibus sunt liberi impuberes, qui ipsi consentire nequeunt. Haec successio pactita valida effici haud poterit, nisi magistratus decretum interponat. Putat quidem RICCIUS in Specileg. Iuris Germanic. p. 595. celebratam unionem prolium sine magistratu pacientes quidem parentes obligare videri, neutquam autem indistincte proles unionandas. Sed sic parum proderit haec unio, nisi quod a solo proli arbitrio pendeat, impugnare velint, an seruare malint. Quapropter verius videtur, quo illa effectum habeat, ut causam cognoscat tunc, si impuberes ad sint liberi, magistratus, maxime cum prospiciendum sit, ne inaequalitate bonorum nimia parentum ipsi diversi liberi laedantur. Praecipue enim in cause cognitione facultatum ratio habenda, ut propterea SCHILTERO in Excerpt. ad π. III. placeat, requirere a parentibus inuentarium, quo de substantia atque qualitate bonorum iudicare queat iudex confirmaturus unionem prolium. Sed sicut BEIERVS in Delin. Iur. Germ. L. I. Cap. XXV. §. 15. putat defectum inuentarii suspectam magis efficere unionem prolium, quam irritam; ita nec huius nec illius opinionem plane veram arbitror. Quod si enim iudicis confirmatio decretumque requiritur causa cognita, cum impuberibus prospiciendum sit, ne per parentum bonorum maximam inaequalitatem laedantur, fieri non poterit, ut nisi rectam bonorum cognitionem habeat, magistratus confirmare nequidem possit unionem prolium. Irrita itaque erit magis, cum confirmatio dari non possit, quam ut suspecta fiat. Sed propterea non defenderem necessitatem inuentarii, sed putarem, satis fore, si parentes quanta habeant bona iudici indicent atque iurato confirmare malint.

§. IV.



§. IV.

Haec causae cognitio, hoc iudicis decretum causa est, ut competens adeundus sit iudex teste **ENGAVIO** cit. loc. §. 435. maxime cum impuberum causae, quorum in confirmatione vnonis ratio habenda competentem iudicem requirant. Sed haec in regula, saluis iis, quae forsitan statutariis iuribus aliter sancta. Miror vero **M E V I V M** ad *Ius Lubencis*. P. II. Tit. I. in addit. ad n. 113. Decretum iudicis ad cautelas abundantes referre, et **R H O D I V M** in diff. *de unione prolium sine praetore* omnis causae cognitionis necessitatem negare. Neuter recte, maxime, si ex rationibus antiqui patrii iuris rem dijudicemus. Majoribus enim, cum testamenta ignorent, praecipua erat intestata successio, in cuius detrimentum non semper pacisci licet. Quo ergo firmior esset conuentio, qua contra ordinem successionis intestatae liberis maxime impuberibus ex bonis, ad quae capienda succedendi ius perfectum competebat, pars derrahebatur, magistratus autoritas requirenda videbatur: cum pater materue paciscendo non agebant inter Germanos legiatores, ut apud Romanos, quem testamentum conderent.

§. V..

Sicuti vero vniō prolium tantum pactum successionis est inter parentes initium de communi liberorum successione, ita non est dubium, ex eo pacto non produci ius successionis inter liberos vnitos inticem. Nēque enim ea est paciscentium intentio, qui nihil aliud paciscendo agunt, quam ut sua bona aequaliter in liberos diuersorum matrimoniorum conferant. Praeterea vix haberet effectum eiusmodi pactum respectu successionis inter vnitos, qui forsan



fan adhuc prolis quaerendae studiosi esse possunt, in quorum detrimentum pactum successorum haud valeret, quippe quibus paterna legitimaque hereditas, nisi ex iusta causa, adimi non posset.

§. VI.

Iam vero ad ipsam quaestionem veniamus, videlicet: *an unio prolium testandi facultatem adimat?* Non omnino consentiunt eruditii. Negant plerique parentibus testandi facultatem, vt praeter STRYKIVM de Success. ab intestato Diff. VIII. cap. VI. §. 29. et alios RICCIUS in Spicileg. Iur. Germ. p. 591. statuit, qui adfirmat, ne illud quidem parentis testamentum subsistere, in quo liberis vniuersit legitima illaesa maneat. Dissentit tamen LYNNCK. in Comment. ad Ius Civil. p. 136. et 379. atque in Respon. 109 n. 5 et 13. Et videri posset pro hac sententia ex eo peti argumentum, quod ex applicato iure ciuili liberis haud ius competit in omnia bona, praeterquam in legitimam, tanquam portionem ab intestato debitam; sed neutrī sententiae calculum adderem, magis ex variis argumentis limitandas has sententias putem, vt ideo species vel existant, vel existere possint, in quibus testandi licentia non omnino negari parentibus possit.

§. VII.

Cum in regula ideo inter parentes vniōnis prolium pactum iudicis decreto et minorennum liberorum tutorum consensu ineatur, vt ex prioribus coniugii procreati liberi vel soli, vel cum communib⁹ qui postea nascantur, aequali iure succedant in vtriusque parentis adeo vitrici et nouer-
cae



cae bonis succedant, facile patet, non tantum contra omnem successionis ordinariae communem regulam nouum aliquod et diuersum ius statuere velle parentes, qui ad adfines primi gradus in linea descendantali, quales sunt *comprivigni*, ius succedendi transfrerunt; sed etiam, cum per pactum hunc successionis ordinem statuant, ius perfectum in liberos ipsos ynitios conferunt, contra quae liberorum quae sita iura postea agere, atque solo testamento, sic unilaterali voluntate iis eadē iura eripere licitum esse nequit. Quapropter in regula verissima est sententia eorum, qui ynionem prolium ius testandi parentibus adimere adfirmant. Addo: Ipsi parentes hunc succedendi ordinem per pactum ynionis prolium statuentes, sibi eo iam heredes instituentes, eo ipso renunciasse videntur arbitrio testandi, quod a moribus Germanorum, qui sibi pacto heredem ordinare possunt, alienum non est. Praeterea in ynione prolium de integris suis bonis, tam acquisitis, quam adquirendis, inter diuersos liberos partiendis, parenti sunt parentes, quae so! quid ipsis superesset, de quo postea testarentur. Tandem pactitias successiones, quae in pactitium heredem ius perfectum transferunt, ex maiorum moribus anteponunt semper successioni testamentariae ex peregrino iure receptae, quae ante additionem ius in heredem non transfert, mortuo testatore, viuo vero eo, plane nullum ius heredi tribuit, sed succedendi spem tantum. Haec ita in regula.

§. VIII.

Iam veniamus ad exceptions. In omni pactitia successione praecipue inspicienda sunt pacta atque quid

B

in



in ipsis pactis constitutum sit inter partes. Quapropter putem, ex ipsa partium conuentione exceptionem recte peti posse. Confirmavit me in hac opinione pacti vnionis prolium exemplar, in quo utique quidem parentes diuersorum matrimoniorum liberos communes sibi heredes fecerant, ita tamen, ut expresse ab hac partititia successione pater sibi *fundum* eximeret, quem suae dispositioni liberae seruaret, eumque ad vniorum hereditatem pertinere nollet. Cum confirmatione iudicis tutorumque conseasu munitum hoc pactum viderem, arbitrabar, ita seruatam fuisse bonorum rationem, ut praeter hunc fundum mariti bona reliqua proportionata essent bonis coniugis secundae, ut neutrius liberi detrimentum paterentur. Concludo itaque, hac specie I. per exceptionem vniuem prolium patri non ademisse testandi ius, quippe in fundo sibi seruato et ex vnitibus bonis exento recte testabitur. Causa vero putas, fieri non posse, ut simul successio fiat ex pacto et ex testamento. Hoc nunquam mores Germanorum improbant, quod docet successio viduae ex pacto nuptiali, cum in reliquis bonis vel intestatae vel testatae successioni locus esse possit. Et ita in aliis quoque speciebus.

§. IX,

Praeterea oritur quaestio: an parenti, vniione prolium facta, amplius competere nequeat ius liberos ingratatos exheredandi? Cum et recepto romano iure, simul receptum sit hoc ius, ut exheredes scribere possint liberos, si ingratitudinis causam commiserint in parentes talem, qualem ad istam exhereditationem exitgit



git NOVELL. CXV. Videor exinde consequi posse,
paetum vnionis non dare posse liberis libertatem im-
pune ingratitudinem committendi in parentes. Poterit
ergo pater, in quem ingratus fuerat filius, non ob-
stante vnione prolium eundem exheredem scribere.
Si itaque ynus ingratus fuerit, haud in reliquorum
iuris quaesiti detrimentum, cum nihil peccauerint,
vnionem ipsam reuocare poterit, sed ei tantum, qui
ingratus fuerat, suam ex vnionis prolium pacto debi-
tam partem adimet. Ita II erit exceptio, ex qua te-
stari poterit parens, salua manente vnione prolium,
respectu reliquorum. Sic exheredandi ius parentibus
saluum pronunciauit IUS FRANCONICUM teste RIC-
CIO cit. loc. p. 603.

§. X.

Exceptionem III. quaerimus in iuribus singulari-
bus, quae parentibus certo modo permittunt testandi
facultatem, quale ius singulare adfert RICCIVS in
Spicil. Iur. Germ. p. 603. ex Iure FRANCONICO alle-
gata *Lands Ger. Ordn. P. III. Tit. 39. §. 14.*

§. XI.

Tandem, si prolium vnio, vel communii consensu
eorum, quorum interest, tollatur, vel finiatur, utpote, si
liberi vni ex diuersis matrimonii progeniti praemo-
riantur, dubium non est, parentes tunc testari posse, licet
super sint communes liberi ex hoc matrimonio proge-
niti. Fac enim, *Titum* ex priori coniugio filios duos
haben-



habentem ducere in matrimonium *Caiam* viduam, quae ex priori coniugio filiam habebat superstitem: sit inter hos ynio prolium iusto modo, atque postea duos liberos marito secundo *Titio* parit *Caia*. Interiecto tempore non tantum Titii moriuntur duo filii ex priori coniugio progeniti, sed et filia Caiae ex priori matrimonio. Facile patet, praemortuis iis, quorum causa vnio prolium inita fuerat ipsam vniōnem cessare debere, eorum enim causa, qui ex vtrisque parentibus progeniti erant, non opus est vniōne, quippe lege atque quasi natura vtrisque parentibus succedunt. Recte ergo testabuntur vtrique parentes.



ULB Halle 3

008 558 760



WORP

Act. 57. num. 59. *P. 22. 22.*

1775. 24.

Q V A E S T I O
I V R I S C O N T R O V E R S I
A N
V N I O P R O L I V M
ADIMAT IVS TESTANDI



L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA

